

Bibliothèque numérique

medic@

**Perron, Jean-François - candidat /
Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -
président. - De enterocele strangulata**

1788.

***Paris : Ex-Typis Clousier, Regis
et Regii Chirurgiae Collegii,
Typographi, viâ Sorbonae,
Cote : ms 2346, n°22***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x05x0022](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x05x0022)

DE ENTEROCELE
STRANGULATA.

DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

AVCTORE JOHANNI ALBERTO HOFMEYER.

OPUS POSTUMUM.

1788




MDCCCXCVIII

Typis C. J. Neubergeri, in Regio. Chirurg. Collegio.

in Regio. Chirurg. Collegio.

MDCCCXCVIII





DE ENTEROCELE STRANGULATA.

D I S S E R T A T I O

ANATOMICO-CHIRURGICA,

*Die Lunæ, 7^a mensis Julii, à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam*

DISCUTIENDA.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS
PRO ACTU PUBLICO,

ET

~~Magisterii Laureatæ~~
Magisterii Laureatæ



Ex-Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii,
Typographi, viâ Sorbonæ.

M. DCC. LXXXVIII.



ILLUSTRISSIMO ET NOBILI VIRO
 DD. JOANNI-BAPTISTÆ ANDOUILLE,
 REGI A SECRETIORIBUS CONSILIIS,
 CHIRURGO PRIMARIO,
 ACADEMIÆ REGIÆ CHIRURGICÆ PRÆSIDI PERPETUO,
 È REGIA SCIENTIARUM ACADEMIA, &c. &c. &c.

*Has laborum suorum primitias in perpetuum venerantis & graci animi
 monumentum*

DICAT, VOVET, CONSECRAT

J. F. PERRON.



DISSERTATIO ANATOMICO-CHIRURGICA.

EX morbis quibus obnoxium est corpus humanum nullus frequentior, nullus periculosior, quàm tumor in omni peripheriâ abdominis ut plurimùm apparens, Herniæ nomine dictus.

Oritur à viscerum in illâ cavitate contentorum procidentia, undè visceris prolapsi functionum læsio, undè periculum imminens.

Varias inter species herniarum annumeratur *hernia inguinalis*, sic dicta quòd in utroque sexu nascitur in inguine. Partes quæ prolabantur per annulum transeunt, seu per foramen, vasis spermaticis in viro, ligamenti quæ uteri teretibus in muliere transmittendis inserviens, & à parte aponevroticâ obliqui externi efformatum.

A

Tribus partibus conflare potest hernia inguinalis, intestinis, omento, utroque simul, quandoquē vesicā, ac proindē *enterocele*, *epiplocele*, atque *entero-epiplocele* nuncupatur. Si adsit vesica, quod rarō evenit, dicitur *cystocele*, seu hernia vesicalis.

Completa est vel incompleta. Completa dicitur *oscheocele*. Apud viros in scrotum, apud mulieres in pudendi labia devolvitur.

Incompleta non inguen præterlabitur.

Fieri solet hernia inguinalis per dilatationem, & tunc adest saccus herniarius (peritonæi nempe extensio) non per rupturam, nisi ab ictu violento, & tunc desideratur saccus.

Sæpè sæpius caret in herniā vesicali, quandoquē reperitur.

Fir adhuc hernia inguinalis subitā & violentā diaphragmatis & muscutorum abdominis actione simultaneā, neque idē ruptura dici potest, nam etiam in illo casu peritonæi extensio saccum præbet herniarium. Quæ quidem actio pro causā herniarum, haberi potest, ut moles & pondus partium, vitium liquorum nutricium, &c. &c. &c.

Differunt etiam herniæ inguinales, quōd aliæ sint recentes, aliæ inveteratæ (hinc major minor-ve sacci crassities).

In quibusdam partes liberæ faciliè reponi possunt, in antiquis tamen quæ nunquam brachierium passæ sunt, repositio non tentanda, & suspensorium forti telā conflatum, modō partes contineat, morbum ulteriùs progredi vetat.

In aliis partes constrictæ strangulantur & reponi non possunt, & de illis dicere est animus.

Strangulatio oritur à constrictione annuli, sed præcipuè ab intumescentiâ partium constrictarum: annulus enim nullâ aut parvâ elasticitate donatur, nec ipsius lumen imminuitur, sed contentæ in illo partes quoquomodò ingurgitantur & turgent; sit in exemplum digitus filo compressus aut annulo metallico; à compressione, ingurgitatio, inflammatio, gangræna extremi digiti: non minor factus fuit annulus, sed intumuerunt partes per annulum transmissæ; idem ferè dicendum de partibus in annulo inguinali strangularis.

In strangulatione, vel minima pars canalis intestinalis comprehenditur, & mitiora symptomata, quàm si integra illius area comprehenderetur, ipsum-ve intestinum plicatum foret, quia tunc non solum ab interrupto facum alvinarum cursu, sed à strangulatione vasorum quæ partem mesenterii constrictam perreptant, oriuntur.

Duplex distinguitur strangulatio, scilicet per ingurgitationem, & per inflammationem; si per ingurgitationem, minores erunt dolores, minus periculum; si per inflammationem, graviora symptomata citius in pejus ruunt. Strangulatione cognitâ tentanda partium reductio quæ sic institui potest.

Vel æger supinus recumbat, capite cruribus quæ paululum inflexis, pectore, lumbis, natibusque paulò elatioribus.

Vel capite demisso & sublati in altum pedibus. Vel in latus alterum, ut pondus intestinorum partes emissas retrahat: tunc chirurgus alterâ manu ad annulum appositâ, alterâ partes molliter tractatas, & versus ilei spinam propulsas & in abdomen reductas à novo prolapsu deffendat.

Profuit sæpè sanguinis missio ad lypothimiam. Sed cavendum, nam sunt qui non nisi instante morte ad syncopen ducerentur.

Hæc omnia si prosperè non succedant, varia sunt media pro variâ strangulationis specie. In strangulatione per ingurgitationem, adstringentia, reperiuntur &c. Glaciès in quibusdam circumstantiis adhibeantur; sin autem adsit inflammatio major, sedulò eadem vitanda forent, quia mox ad gangrænâ tumor vergeret. Itèm si omentum adesset in herniâ, tunc enim frigidorum remediorum applicatione concreveret adeps in eâ membranâ contentus. Felici exitu adhibentur cathartica; inter quæ usitatissimum *sal catharticum amarum*, quod tamen sine cautelâ uti non licet. Nam irritatio, si reductioni non faveat, strangulationem & accidentia adauget. Idem est dicendum de fumo Nicotianæ ope syphonis in anum immisso.

Peraçtâ partium reductione, non semper cessant accidentia. Quandoquè tonum naturalem strangulatione per quoddam tempus continuatâ amiserunt partes, & de novo fit ingurgitatio strangulationis æmula, internis strangulationibus obnoxia patent, membranis adnatitiis identidem constriunguntur.

A quibusdam etiam annumeratur strangulatio facci.

Quid tum ergò? excute ægrum lecto, fortiter exagita, fac ut per tussim, sternutationem, vomitum, redeat extrâ anulum tumor, tunc que ad operationem citò citiùs confuge, quæ cunctis aptè dispositis sic celebranda.

Æger supinus in lecto, uti jam diximus, recumbat. Chi-

rurgus in utroque casu dextram teneat. Fiat, si licet, plicatura cutis, sin minùs, cutem in tumore incidat chirurgus, dein ope specilli fulcati in extremitate acuminati superiùs & inferiùs incisionem scalpello augeat, tandem que ad interiora sacculi progrediatur; quod ut fiat.

Sublevat telæ cellulosæ lamellas, & obliquè forcibus secat, vel specillum acuminatum in easdem lamellas immittit; vel forcipe anatomico utitur & incidit scalpello obliquè posito. Quodcumque medium elegerit Chirurgus, semper aperiendus est sacculus in parte laterali & inferiori, quia non hìc intestinum sed sæpiùs limpha reperitur, ac proindè nihil timendum. Hùc scalpellum pervenisse sentiet operator colore & lævitate intestinorum, limphâ ut plurimùm interpositâ, dispositione vasorum sanguiferorum.

Aperto sacco reperiuntur intestina,

Vel sana,

Vel adhærentia,

Vel gangrænâ correpta.

Si sana, paulò longiorem intestinorum attrahe partem, ut fæces alvinæ, & aer contentus in spatium majus extendantur, faciliùsque in abdomen repellantur.

Quandoquè tamen etsi sana libera que sint intestina, non sunt in abdomen remittenda; nempè si diuturniore annuli constrictione intestinorum area ità imminuta fuerit, ut alimenta hâc transire nequeant, & ruptura in abdomen immineat, tunc igitur in inguine retinenda forent, videndumque quid de illâ constrictione fieret: eventus indicationem sequendam patefaceret.

Si reductio fieri nequit, incidatur annulus specillo fulcato, manu partes prolapsas ab ejus læsione prohibente.

Cultello limâ acuato, sed potius scalpello cujus extremitas in globulum definit, & gallicè dicto *Bistouri boutoné*

Nihil ferè timendum in herniâ inguinali de arteriâ epigastricâ, sed meliùs ilium versus protendetur incisio.

Sin autem ità strangulentur partes in annulo, ut nec specillum, nec cultellus ingredi queant, in ungulâ paulatim incidendæ partes, aut ut suadet celeb. D. Sabatier, pulpa digiti dorso cultelli in globulum desinentis applicatur, & sic utrâque manu antèrùs propellitur.

ADHÆRENTIA.

Si levis, digitis facilè destruitur; si major, procrastinandum: intestina fomentis debitis cooperienda & prope annulum retinenda, quod satiùs quàm scalpello decorticationem tentare. Macrescet æger, suppuratione subsident partes, & paulatim ità minuentur, ut regressus indè fieri queat.

GANGRÆNA.

Aut in uno puncto gangræna afficitur intestinum, aut tota intestini area, aut major portio canalıs bis strangulata corrumpitur: quoquomodò se res habeant, adhærentiæ si quæ sint religiosè conservandæ, sin aliter, filo per mesenterium trajecto intestinum prope annulum retine. Sæpè vulnus deliga, cathartica, minorativa, enemata varia adhibe, & quam sequetur natura viam prudenter observa: ne tibi in animum cadat à chirurgo pendere, ut talem talem-ve ineat

viam, ut modò invaginationem, modò anum, uti vocant, artificialem tentet : minimè. Eventus morbi à partium dispositione, ab accidentibus, à circumstantiis omninò pender. Felix si monstratam à naturâ viam sequatur fidelis ejus observator, nedùm ejus laborem ad nutum dirigere arbitretur.

Si parva substantiæ deperditio, facies partim vulnus, partim viam naturalem sequentur : Intestinum cum vicinis partibus coalescet.

Si major, remaneat semper apertum vulnus, & etiam eo casu similis aliquandò successus erit, at si citiùs consolidaretur vulnus, si in alvum reponerentur intestina; in aperto res est, certo certiùs occumberet æger.

Si magna pars intestini gangrânâ corripitur, pars mortua scalpello refecanda, tunc que videndum quid fiet : Varius enim esse potest eventus.

Vel approximantur intestini extrema &, dein sponte suâ facies alvinæ viam naturalem repetunt (casum hunc ante oculos habuit Illustr. DD. de la Peyronie).

Vel ope medii mechanici invaginantur eadem intestini extrema.

Vel anus artificialis in inguine instituitur.

Tria hæc media commoda & incommoda secum habent.

Curvatur in puncto adhærentiæ intestinum, ex curvaturâ diameter imminuitur, hinc alvi tormenta. Rescinditur quandoquè cicatrix. Felix nimium æger si foras aperitur, alioquin facies alvinæ in abdomen effunduntur & de ejus vitâ conclamatum est.

Simpliciùs & certiùs agit celeberr. Rhamdor. Superiorem

intestini partem in inferiorem invaginat, filo trajecto retinet. Sed quomodo superior dignoscetur portio cum utraque fæces alvinas eructat? indicat celeberr. D. Louis : potionem oleosam sorbeat æger, & deinde sedulo à quâ-nam parte foras exeat observetur.

Deinde in usum venit methodus antiquitus à magistris quatuor usurpata. Nempè trachea arteria vituli, cannula sambuci, charta convoluta in intestina immissa, ut ferretur diameter canalis, ibique filo retenta : sed filo dilacerantur intestina & novum adducunt vulnus, sed ibi in canali impedimentum : tandem hæc omnia tristissimi ominis.

Quid superest? anus artificialis tutior forsan. Sed quam vitam vivunt ægri? Sibimet ut aliis molesti, perpetuâ fætiditate fugiendi, mille doloribus obnoxii, ut excoriationibus marginum vulneris, sæpius etiam intestinorum per vulnus prolapsui, periculosiorem sed commodiorem curationem desideriiis revocant amarissimis : aliundè si gracilium intestinorum portio anum artificialem efformet citius abeunt alimenta quam ut concoqui potuerint, hinc marasmus. Non ita quidem fœrent tunc excrementa, sed jugiter fluunt. Pixide quidem stercorali utuntur ægri, sed & illud medium molestum est. Huic igitur curationi nunquam favet chirurgus, quin alio modo vitam ægro servare omnino desperet : sed injucundè vivere quàm non vivere fatiùs.

*HANC DISSERTATIONEM, Deo juvante, & Præside
M. PETRO-MATHURINO BOTENTUIT LANGLOIS,
Artium & Chirurgiæ Magistro, antiquo Scholarum Modera-*

zore, antiquo Scholæ practicæ Professore, Regiæ Chirurgo-
rum Academiæ Socio, in Supremo Senatu Patrono, tueri
conabitur JOANNES-FRANCISCUS PERRON Parisiensis,
in almâ universitate Parisiensi Artium Liberalium Magister,
Dissertationis Auctor.

Die Lune 7^a mensis Julii, à sesqui-secundâ, post meridiem
ad septimam.

CELLO ET POTENTE
D. NICOLAO LUDOVICO FRANCISCO
DE DELLEY
BARONE PACHESSE, EQUIITI,
ANTICHO REGIS IN CASTELLETO ADVOCATO,
ANTICO IN SUPREMA CURIA SENITORE,
HONORIFICATIONE CURIA REGIS DIGNITATE,
DICAT, VOVEIT, CONSECRAT
G. A. RICHARD.

